Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1323
Quelle:
Copyright:

nullatenus diminuta nec aliqualiter inmutata.

II. *fol.* 12. p. 2. *Responsio Magistri Johannis de Poly ad predicta.* Haec quoque continetur in *Cod. suprac.* sed non nisi ad Articulum XI. pertingens; hic vero habetur integra hoc initio: *Coram uobis Reuerendis in christo patribus. Ego Johannes de poili sacre scripture doctor. protestor expresse me uelle loqui cum communi reuerentia et obedientia sedis apostolice* &c. Et fine: *ex quibus patet eorum articulos nichil contra me concludere.*

III. *fol.* 17. *Conclusio fratris Petri de palude contra responsionem datam per Magistrum Johannem de poly.* Superscriptum eadem manu: *Conuincat eos daniel ex ore suo falsum dixisse.* Initium: *Omnes articuli et singuli contra Magistrum Johannem de polly. ex officio domini nostri propositi* &c. Finis: *postea fuerunt de illis septem in diaconos ordinati, Actuum sexto capitulo.* Subjectum: *De ore tuo te Judico.*

IV. *fol.* 36. *De causa immediata potestatis ecclesiastice in prelatis.* Tractatus ejusdem *Paludani,* qui incipit: *Circa potestatem a christo collatam prelatis ecclesie. sex per ordinem sunt uidenda. Primo de petri potestate, Secundo de potestate apostolorum, Tertio de potestate discipulorum, Quarto de potestate pape, Quinto de potestate Episcoporum, Sexto de potestate curatorum* &c. Extat Tractatus hic impressus *Parisiis,* teste *Quetifo* in *Scriptt. O. P.* T. I. p. 607. anno 1506. 4. et passim in *Mss.*

V. *fol.* 101. *Responsiones fratris petri de palude ad ea que sibi imposuit Magister Johannes de pollbiaco dum ad obiecta sibi ab alijs Idem Magister iohannes in consistorio* (Avenione) *responderet, quas frater petrus uestre Sanctitati* (Johanni XXII) *exhibet iudicandas condempnando corrigendo uel etiam approbando sicut misericors et iusta uestra prudentia decreuerit faciendum.* Initium: *Primus articulus contentus in responsione Magistri iohannis ad tertium articulum* &c. Finis: *dum modo per augustinum fieret quod per se minus posse fieri reputabat.* Disputationes ab utraque parte longius extractae plerumque in subtiles dictorum interpretationes et lites de nominibus evanescunt, quod et hic accidit. Superarunt tamen et hunc assultum *Mendicantes, Johannes*que receptui cecinit.

VI. *fol.* 111. p. 2. *Epilogus tractatus de causa immediata ecclesiastice potestatis.* Est conspectus Operis N°. IV. adducti in suas *Conclusiones principales* et *incidentales* distributi, ex cujus compage *Petrum* methodi Scholasticae heroem cognoscas. Cum porro *Quetifus* T. II. p. 820. excepto hoc Opere reliqua hic recensita nonnisi ex praesenti *Cod.* nota habuerit, patet ea rarissima esse, neque unquam lucem adspexisse, licet Quaestionem de Potestate Pontificis et Episcoporum,